

ſeemed to fall a very heavy Rain in that Neighbourhood. As it waſted, the Bottom of the remaining Part was irregular, ſomewhat like the Trunk of a Tree broke aſunder: There was but little Wind, and the Sky elſewhere was pretty ſerene. We judged the Spout to be above two Leagues off, and I think the Angle under which the ſmall End appeared, muſt be at leaſt 20 Min. According to which Eſtimation, the Thickneſs of it muſt be upwards of 60 Yards, and its Height or Length about three quarters of a Mile.

---

V. HISTORIA TERRÆMOTUS Apuliam & totum ſerè Neapolitanum Regnum, Anno 1731, vexantis. A Nicolao Cyrillo, in Regiâ Univerſitate Neapolitanâ, Pr. Med. Prof. & R. S. S.

SCIENTIÆ Naturalis incremento, adeoque noſtræ Societatis Inſtituto valde conſentaneum exiſtimavi, ſi Terræmotûs, qui hoc Anno Apuliam, & ſerè univerſum hoc Regnum ſæpè ſuccuſſit, Hiftoriam hîc attexerem. Rei accidentia Felici Roſeto Medicinæ & Philoſophiæ Doctori, atque in Mathematicis diſciplinis & Humanioribus literis non mediocriter erudito, olim meo Diſcipulo, nunc in eâ Regni regione Medicinam facienti, debeo: ex cujus atque aliorum, & Juvenatij, & Foggiaë degentium Obſervationibus brevem Synopſim concinnabo.

L

Die

Die 9 Martij Anni 1737, St. Vet. h. 4, ante meridiem, Terræmotus ferè per totum Regnum Neapolitanum factus est : in Apuliâ maximus. In ejus duratione omnes illius species ab Antiquis notatæ observatæ fuere. Tremor primùm; hinc Pulsus (*σφελμός*) ut loquitur Aristoteles, seu succussatio, ut illam vocat Posidonius ex Seneca ; ac demum Inclinatio, seu Terræ veluti more navigij nutatio. Hi varij motus per vices & successivè se excipiebant, spatio trium primorum minorum, & aliquot quoque secundorum. Haud ab Amico notatum fuit, num Terræ nutationes & oscillationes secundùm circulos Terræ parallelos factæ fuerint : quemadmodùm constans est recentiorum Philosophorum ejus phænomeni, ad Terræ motum diurnum stabiliendum quammaximè facientis, observatio. Id fanè à me quoque atque aliis, tum in hóc, tum in aliis Terræ nutationibus, animadversum attentè est.

Aër tunc temporis crassis humilibus & immotis Nubibus prægravabatur quæ leni postmodùm flante Boreali vento dissipatæ sunt. Succedentis diei Sol languidius irradiabat, veluti si à tenuissimis Nubibus contactus esset : hæ verò in Cœlo cæteroqui sereno non conspiciebantur. Hoc phænomenon in fortioribus sequentibus Terræmotibus itidem observatum. Piscatores qui tunc temporis ad maris oram pervigilabant suo incumbentes artificio, mare repente intumescere adnotârunt, atque tempestatem Siponto & Barletio (nempe è Boreali ferè regione) absque vento, sed non sine naufragij metu adventantem sustinuère.

Sequenti die, nempe 10 Martij horâ 8, a. m. novus sed brevior isque debilior Terræmotus, in eâdem Regni Provinciâ accidit : (non adèò tamen debilis quin

quin etiam hęc Neapoli observatus fuerit). Hunc præcessit Accensio quædam, seu brevis Coruscatio circa montem Garganum à Barenfis Provinciæ incolis visa, quæ in fumum vel caliginem abiens sensim disparuit. In regione circa Foggiam hunc secundum, ut & alios deinceps factos, Mense Aprili, Octobri, & Novembri, sed per intervalla, Terræmotus, plerumque præcessit validus NE; etsi quandoque Aër omninò immotus fuerit.

Ædificiorum ruina atque hominum ab iis oppressorum strages haud mediocris: numerantur enim inter mortuos ad sexcentos plùs minus.

Centrum veluti harum succussionum visum est Oppidum Foggia appellatum: in eo enim immaniores motus & ruinæ, è quo in remotiora loca, sensim se remittente impetu, diffundebantur: ita ut dici possit, Motùs hujus propagationem successivè imminutam esse (nisi quid varia Terræ interjacentis soliditas & interruptio immutaverit) in ratione duplicata distantiarum: juxta familiares, etiam in aliis Motuum speciebus Naturæ Canones.

Quod & in Pendulorum in variâ à Foggiâ distantia locatorum Oscillationibus, à duobus Observatoribus, ex condicò in id incumbentibus, attentè notatum est. Pendula enim palmaris longitudinis, Asculi, & Juvebus, ad semicirculum in gradus divisum applicata, atque in Terræ quassationibus se moventia, pluribus, vel paucioribus gradibus à centro Oscillationum aberrabant, pro minori, vel majori à Foggiâ intervallo. Numerus enim horum graduum major in Oppido Asculoviciniore, minor in Urbe Juvenatio remotiore, ferè respondebat duplicatæ rationi distantiaè horum locorum à centro Terræmotùs. Atque hinc quoque

factum fuit, ut cùm Foggiæ Terra levissimè intremis-  
ceret, Pendulum leviter moveretur Asculi, immotum  
observatum fuerit Juvenatij.

In omnibus Terræ succussionibus, ferè per an-  
num factis, id constanter in apertis campis notatum  
est, quòd illas Aëris fragor, horridusque rumor præ-  
cesserit : quod & in Plinio legimus lib. 2. 80, notante,  
quòd Terræmotus quandoque terribiles soni, mugitus,  
clamores humano similes præiverint. Hic Aëris fragor  
contrariâ determinatione diffundebatur : ut quemad-  
modùm Terræ partes quatiebantur, motu à centro, ut  
dictum est undique ad circumstantia loca communicato;  
sic contra Aëris motus à circumferentiâ veluti ad centrum  
non obscurâ vi concurrebat. Quod quidem phæno-  
menon haud levem philosophandi materiam Naturæ  
scrutatoribus præbuerit : id tamen è re meâ non esse  
existimo. Notaverim tantùm hoc aliud esse ab eo  
quod Aristoteles putabat in Meteoris, ad Terræmotum  
nempe in subsidium advocari debere Ventum exterior-  
rem : ut eo autore Achaïæ ora commota sit Aquilone  
& Austro confligentibus. Ni dicere fortasse velis, ut  
quidam suspicati sunt, leves saltem & oscillantes Ter-  
ræmotus, qui post fortes Orientales Ventos facti sunt  
à retardato Terræ motu diurno, saltem in eo tractu  
quo Ventus flaverit, oriri potuisse. Sed hæc obi-  
ter.

Postremò & illud de nostro Terræmotu notatu dig-  
num est, quòd prope rusticum Cartusianorum prædium,  
*Tre Santi* appellatum (cujus domus à primo Mensis  
Martij Terræmotu solo æquata fuit) eo loco quo  
magis deprimitur Torrentis *Fontana del Pesce* nun-  
cupati alveus, nova erupit copiosæ, turbidæ ac calidæ  
Aquæ scaturigo. Hoc sanè haud novum, nec Anti-  
quis

quis ignotum : siquidem ex illorum monumentis eruimus, Aquas erumpere dehiscente corpore Terræ, eo modo, quo Aqua in navim per fissuras ingreditur : imò per hiatus hos non tenues tantum Fontes, sed Diluvia effusa, Urbesque submersas referunt. Quod iis verosimilius videri poterit, qui cum Thalete, referente Senecâ, putaverint, Terram Aquis sustentatam navigii instar interdum fluctuare. Sed hæc iis, qui rectam veramque Terraquei Globi structuram cal-  
lent, absurda videbuntur.

Aqua, quæ in descripto Apuliæ loco eruperat, sensim exiccari coepit, ac mensis spatio omninò evanuit : siccum verò sabulum, etiam ad aliquod tempus, sulphuris odorem conservavit. Sic Plinius l. 31. 4. ait: Terræ quoque motus profundunt forbentque Aquas. Quare haud mirabimur lacus, fontes, aut fluvios, ubi priùs non fuissent, enatos narrari, ubi priùs fuissent, exaruisse.

Puteos quoque minùs profundos Aquam ex paulo ore, primi Terræmotùs tempore, evomuisse, constantissima fama est. Minimè tamen credendum, ex maximâ Terræ succussatione Aquam exiliisse (hoc enim haud accidere potuisset absque Neapolitani saltem Regni subversione, integræque ruinâ) sed fortè ex eo quòd nova Aqua in Puteorum illorum fundo, quemadmodum in aliis locis, exurgens, ac eorundem cavitatem complens, extorsùm exturbatâ fuerit.

Aqua denique, quæ, ut prius narratum, prope *Tre Santi* eruperat, ad examen revocata hæc phænomena præ se tulit.

I. Ea sub eâdem mole cum Aquâ pluviâ comparata, atque ad Aræometrum exacta, hujus pondus superabat,

perabat, eâ proportione, ut hæc libræ pondus æquaret, illa libram cum granis 82 penderet: Aquam verò fontanam, quæ illic subsalsa est, eâdem quantitate granis tantùm 15 supera ret.

II. Ejusdem Aquæ libra ad siccitatem destillata semidrachmam corporis ad Croci Martis naturam vergentis, scrupulo uno albæ & insipidæ Terræ aspersi, in vasis fundo reliquit. Ex hoc Pulvere priùs exiccato Magnes admotus particulas quasdam rubescentes elicuit. In destillationis opere Sulphuris odor adstantium nares satis apertè feriebat. Hinc post celeberrima Cl. Lemery experimenta, nova argumentorum accessio, subterraneos Ignes, atque Vulcanos, ex Sulphuris ac Ferri permistione facilè accendi posse: atque adeò Terræmotus ex absconditorum Ignium successivâ succensione excitari.

III. Demum: in libras duas illius Aquæ drachmæ tres Gallarum (quas *di Levante* appellamus, quibusque utimur ad Atramenti confectioem) in tenuissimum pulverem redactarum infusæ post quartam horam, Aquam levi cœruleo colore inficere cœperunt, sequente postmodùm Pulveris præcipitatione.

Hæc est accurata & verior nostri Terræmotûs Historia, resectis iis, quæ in magnis hisce calamitatibus per vulgi ora præ timore ferè insani increbrescentia, hyperbolen, nî dicam fabulam, sapere confuevere.